DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TETANO.

AUCTORE V. L. HERVIEW.

NULLUM profecto scribendi cacoethes me ad hoc opusculum suscipiendum impulit, nec enim Delius inspirat vates, nec usus, medicinæ magister, aliquid novi mihi suggerit. Instituta autem almæ hujus Academiæ non solum postulant, ut omnes, quotquot optatum Doctoris gradum contingere volunt, aliquod de re medica prius conscriberent, sed etiam ut summus quidam artis professor hæc scripta, utcunque tenuia, perlegat. Brevitate itaque

opus est, ne oratio barbara forsan, cruda, et millies repetita, eum operis vehementer pertæsum diutius justo detineat.

De Tetano pauca, qua potui cura, disserere statui; haud ab proposito alienum fore ratus, si notatu digniora de argumento satis gravi in unum collecta traderem, etsi nil habeo proferendum quod eruditorum attentionem mereatur.

Omnes fere medici Tetanum in Idiopathicum et Symptomaticum distribuerunt. Ille, in hisce regionibus parum notus, fervidioribus autem cœli plagis valde familiaris existit, et ex frigore, cujus vires nocivæ e humore adjuncto multum intenduntur, ad corpus prius calefactum admoto utplurimum repetendus est. Hic vero nervorum seu tendinum vulneribus supervenit. Cum autem ambo eadem symptomata exhibent, iisdemque remediis cedunt, eos sub eodem capite simul complecti vellem.

DEFINITIO.

Cullenus celeb. accuratam, ut mos est, hujus morbi definitionem sequentibus verbis protulit: "Plurium musculorum spastica rigiditas."

HISTORIA.

Veteres, prout diversi musculi spasmo obrigescebant, nervorum rigorem in diversas species distraxerunt, quibus varia nomina indita fuere. Cullenus vero, et omnes fere nostræ ætatis scriptores, eas tantum ejusdem morbi varietates esse habendas, meliore jure contendunt.

Trismus est rigiditas spastica musculorum qui maxillam claudunt; plerumque primum morbi obrepentis indicium est, nonnunquam solum ejus signum, et semper semet ei comitem adjungit.

In Opisthotono omnes musculi, qui caput et corporis truncum posteriora versus flectunt, vehementer contrahuntur. Post trismum sæpius accedit.

In Emprosthotono musculi caput pariter ac truncum anterius flectentes rigescunt. Rarius semet in conspectum dat, sed scriptores antiqui de eo sæpe mentionem fecerunt.

Pleurosthotonos, per Sauvages Tetanus Lateralis designatur; perraro tamen observata fuere exempla in quibus corpus, musculorum unius lateris spasmo, contortum fuit.

Morbus appellatur Tetanus, cum ad summum vehementiæ gradum pervenerit; in hoc

enim statu omnes musculi spasmo correpti, corpus in neutram partem inclinatum recte extensum tenent.

Nulla ætas, nec sexus, nec regio homines a Tetano securos præstat; sæpius vero mares, et robusti, quam fœminæ, et debiles eo plectuntur.

Tetanus a frigore vel humore ortum ducens, plerumque post duos vel tres dies sese prodit: si autem ex partibus læsis vel contusis proveniat, raro, donec septem aut plures elapsi sunt dies, apparet; et sane non defuere exempla ubi captus est miser postquam et ulcus et causa ex memoria omnino exciderant.

Ingruente morbo, molesta quædam rigiditas colli musculos occupat, et simul sensus admodum ingratus circa linguam et fauces sentitur; his affectibus raro perturbatur æger, et nonnunquam inscius periculi per aliquod tempus solita munera obire perstat.

Molestia colli ingravescente, deglutitio fit difficilis, et musculi, qui maxillam inferiorem tollunt, rigidi fiunt; ex quo demum minime ambiguus evadit morbus. E principio anxietatis et oppressionis circa præcordia sensus adfuit, quem dolor acutus nunc excipit, primum ad spinam, dein sæpe ad scapulas lancinans. Musculi abdominis nunc indurescunt, et ad vertebras retrahuntur. Musculi omnes faciei contrahuntur, vultus distorquetur, rugatur frons, nudantur dentes, genæ versus aures trahuntur, et tandem risus, vulgo dictus Sardonicus, conspicitur. Facies sudore frigido diffluens, maxime anxia, et distorta, quantis doloribus prematur æger, haud dubie testatur.

Morbus nunc latius per corpus imperium exercet, et omnes denique musculi voluntarii in consensum rapiuntur. Spasmi ægrum frequentius torquent. Vires deficiunt; cor palpitat; pulsus laboriosus, parvus et inæqualis fit; spirandi difficultas accedit; caligo, surdi-

tas, et delirium tandem superveniunt; totum denique corpus diris convulsionibus raptum ex summo cruciatu requiem morte enixe optata petit.

Symptomata non semper hoc ordine incedunt, et præterea numero et gradu multum variant. Nunc enim morbus paucis horis, nunc non ante plures dies ad summum incrementum pervenit. Non perturbantur functiones vitales, donec ad ultimum stadium perventum est. Nulla mentis alienatio obtinet. Respiratio et sanguinis circuitus, haud secus ac in sanis, rite peraguntur. Sunt tamen exempla in quibus febris accensa est, et sanguis etiam crustam coriaceam exhibuit. Ciborum appetentia et vires concoctrices ad extremum usque remanent. Alvus magnopere adstricta morbum semper comitatur: utrum vero ex medicamentis adhibitis vel morbo ipso pendeat, dictu haud facile est; musculos tamen abdominis pariter ac intestina ipsa

spasmodice constricta ei originem præbere crediderim.

Urina in tetano nonnunquam suppressa ad vesicam spasmo contractam referri queat.

Æger nunquam placido somno conquiescit, sed insomniis horrendis turbatur, quæ sæpe acerrimos paroxysmi impetus concitant. Exempla non desunt ubi omnium musculorum spasmus ante mortem solvebatur. Hi, postquam æger fatis concesserit, modo flaccidi, modo rigidi manent.

Cadavera secta nil fere ostendunt, quod medici attentionem vindicet. In uno exemplo, quod Bontius literis mandavit, materia glutinosa, cerebri ventriculos opplens, reperta est.

His de morbi historia præmonitis, ad causas ejus remotas nunc progredi liceat.

CAUSÆ REMOTÆ.

TETANUS, ut supra dictum est, duas potissimum causas remotas agnoscit,—quidquid scilicet nervos seu tendines contundit, vellicat, vel ullo modo lædit, et frigus cum humore conjunctum. His oportet adjungere vermes intus irritantes, et acria ingesta, quæ sæpius in infantibus tetanum movent. Auctores quidam mentis perturbationes, liquorum ardentium abusum, venerem immodicam, venena, et meconium retentum (trismum nascentium inferens), inter causas hujus morbi remotas recensuerunt.

De modo quo hæ causæ suos effectus edunt, nil certi habemus ; nec facile quis dixerit quomodo morbus adeo gravis ex injuriis levissimis originem nactus sit, nec qua-

re ex eadem causa homines nunc motus abnormes concipiant, nunc prorsus incolumes evadant.

Ex his tamen satis patet corpus peculiari modo constitutum homines ad tetanum opportuniores reddere; qualis autem fuerit hæc corporis conditio, nemo hactenus statuere ausus est.

Tetanus præcipue ex iis vulneribus in manibus vel pedibus inflictis provenit, quæ levem tantum inflammationem subeunt, et faciem lividam quasi et exsanguem ostendunt; quod si inflammatio debita et suppuratio benigna, vel medicorum ope, vel naturæ beneficio, prius concitatæ fuerint, quam ulla tetani signa semet in conspectum dederint, quin morbo aliter venturo optime occurratur, nulla ratio est cur dubitemus.

CAUSA PROXIMA.

Omnia de intima fibrarum musculorum structura, perinde ac de cerebri et nervorum functionibus, tenebris densissimis adhuc involuta, nos in hanc arenam descendere vetant.

Quid enim viribus musculorum insitis Halleri, quid viribus eorum nerveis, quas gravis Monroi auctoritas sancivit, in tetano concitando tribuendum, videant peritiores. Docent tamen vel ipsæ medicorum summi nominis sententiæ, variæ admodum et longe discrepantes, quam in lubrico versantur, qui corporis penetralia scrutantes opiniones de re medica ingenii viribus extundere nituntur.

DIAGNOSIS.

TETANUS, morbo jam adulto, facile ab omni alio sejungi queat; incipiente vero, cauto sæpe opus est, ne cum aliis confundatur.

Rigiditas colli pedetentim obrepens rheumatismum nonnunquam mentitur; spasmus tamen brevi obortus, morbi naturam, quo tenetur æger, satis indicat.

Trismo et musculis perpetuo rigidis ab hydrophobia discerni potest.

In catalepsia et epilepsia omnes sensus externi pariter ac interni cessant; dum in iis nervorum rigore correptis sensus prorsus integri manent: in epilepsia porro totum corpus motibus inordinatis exagitatur.

Quod si ad causas morbi remotas animum advertimus, et hujusmodi symptomata post vulnera, contusiones, vel corpus frigori et humori objectum, semet ostendisse comperimus, omne fere de morbi natura tollitur dubium.

PROGNOSIS.

Tetanus nunquam periculo vacat, et prognosis plerumque infausta est. Quo tamen certius morbi eventum prædicemus, ad causas remotas, signorum vehementiam, ægri ætatem, et modum quo symptomata invadunt, respicere multum interest.

Si spasmi vehementiores, per corpus late extensi, crebro ægrum prehendant, vix ulla salutis redeuntis spes est.

Cum morbus e vulneribus originem ducit,

passu magis celeri ad finem properat, et exitus magis funestus jure timendus est, quam si e frigore suscepto contractus fuerit. Quinetiam in judicio de tetani eventu ferendo, multum ex tempore, quod occupat morbi decursus, pendebit. Si cito enim invalescunt symptomata, gravius certe periculum imminet, quam in iis exemplis ubi paulatim obrepant. Infantes hoc morbo correpti rarissimi ex eo emergunt.

De tetani eventu melius sperare liceat, si morbus jam ultra diem quintum sextumve porrectus fuerit; nulli tamen observantur dies, qui eum crisi solvere videntur.

Delirium et sudores frigidi erumpentes, vel subita et universa artuum relaxatio, ad extremum jam perventum esse testantur.

MEDENDI RATIO.

AUCTORES in medendi ratione instituenda in sententias valde diversas vel etiam omnino sibi mutuo repugnantes abierunt; dum alii enim stimulantia summis laudibus efferunt, alii egregias sedantium virtutes haud minus commendarunt; et ambo, ut proprias tueantur opiniones, exempla in medium proferunt, ubi morbus eorum remediis feliciter victus est. Cum itaque tam variæ existunt sententiæ, melius forsan erit, si, nullius addictus jurare in verba medici, ea remedia, quorum usus maxime invaluit, strictim percurram.

Sanguinis detractio raro in hujus morbi auxilium vocatur; nec unquam convenit, nisi

diathesis phlogistica, et pyrexia, tali remedio opus esse demonstrent.

Quod si morbus ex vulnere profectus est, CULLENUM habemus docentem omne commercium inter partem læsam et cerebrum insitione facta esse intercipiendum. Auctores autem recentiores stimulantia vulneri protinus esse admovenda suadent. DARWIN vulnus oleo terebinthinæ esse implendum, donec suppuratio provocata fuerit, monet.

Opii longe et late inclaruit virtus, qua tetano laborantibus opem ferat; et forsan inter hujus morbi remedia primum locum merito tenet. Ingens opii copia in hoc exemplo non solum impune, sed etiam cum summo beneficio sumpta, quam longe aliter ac in sanis corpus morbo implicitum se habeat, haud amplius iisdem legibus obtemperans, luculenter docet. Quantitas opii assumenda pro gradu symptomatum statuenda est: si hæc ingravescant, ejus dosis audacter adaugenda est, sin

minus, imminui debet. Opium exigua dosi sæpe iterata commodius forsan adhibetur. In morbi initio unum vel alterum granum, omni altera hora repetitum, sat fuerit, quod tamen sensim adaugeatur, donec spasmi soluti fuerint; nec hujus medicamenti usus statim deponendus, simul ac spasmi remittant, sed dosi paulatim imminuta concedi debet. Opium forma tam solida quam liquida administrari potest; cum autem deglutiendi facultas non amplius superest, enemate subter infundi debet.

Alia porro medicamenta, moschus nempe, camphora, castoreum, una cum opio adhibita fuere, et a nonnullis vires ejus medicatrices adjuvare perhibentur. Alii autem opinantur opium solum ad curam absolvendam melius valere; et hoc certe incommodi habent alia medicamina simul cum opio porrecta, quod dosis magnitudinem sæpe moleste adaugeant. Opium corpori affricatum et linimento saponis vel camphoræ conjunctum, haud parum valuisse creditur. Nunquam certe nocet, et for-

san nonnihil commodi ex oleo ipso proveniat. Inunctiones hujusmodi cum oleo in tetano, pariter ac in aliis convulsionibus, antiquis valde placebant, qui hoc consilio ægros in balneum tepidum oleosum descendere præcipiebant.

Sunt et antiqui medici et recentiores, qui corporis perfusionem aqua frigida usui commendarunt. Alii tamen magnum inde periculum timent, et profecto quædam narrantur exempla ubi æger post frigidam affusam vel subito extinctus est, vel in summum vitæ discrimen adductus. Quod si tetano detentum aqua frigida perfundere decretum fuerit, post affusionem corpus statim exsiccandum est, et perfricandum, dum vinum vel opium libere assumendum propinetur.

Balneum tepidum, si præconceptæ opinioni potius quam experientiæ auscultemus, paratissimum tetanicis remedium fore crederemus; et nonnulli ægrum in aquam e nonagesimo ad centesimum instrumenti Faren-

heiteani gradum calefactam descendere jubent, et simul monent, ut ibi detineatur, donec spasmi tensionem remittant, vel quædam deliquii instantis indicia appareant. Veruntamen, alii sunt medici qui damnosis hujus remedii viribus ægros in aperta pericula mitti contendunt.

Complures medici hydrargyri virtutes in hoc morbo medendo magnopere commendarunt. Duas drachmas unguenti hydrargyri fortioris summo corpori, et præsertim cervici et externis faucibus, indies infricant. Nonnulli etiam gingivas et labia submuriate hydrargyri illinunt, donec uberior salivæ fluxus motus fuerit, quem hydrargyri adhibendi modum præsentius auxilium attulisse multi affirmant. Dum hydrargyrus affricatur, ægrum in balneum tepidum crebro immittere juvat.

Tetanum, modo leniter tantum incedebat, vino depulsum fuisse auctores ferunt. Si ta-

men æger graviorem morbi impetum sustineat, vix aliquid boni ex eo sperandum donec rigores nonnihil conquiescant, quo tempore una cum cinchona adhibitum prodesse visum est.

Petroleum Barbadense, cicuta, digitalis, et alia pene innumera medicamenta a diversis medicis in hoc morbo celebrata fuere: de horum autem effectibus nil habemus adeo certum ut iis tuto fidere possumus.

In uno exemplo quod mihi sese obtulit, nausea gravissima et vomitus digitalem consecuti sunt. Convaluit tamen æger; utrum hoc medicamento, vel aliis, vel solis demum naturæ viribus, incertum est. In hoc quoque casu cathartica, submurias hydrargyri scilicet et scammonium, frequenter per totum morbi decursum usurpata fuere, et, ut omnibus persuasum fuit, cum felici admodum eventu. Si tetanus meconium retentum pro causa agnoscat, purgantia (modo ulla valeat me-

dicina) opportune in locum veniunt; et nonnulli eorum, quæ molliter alvum ducunt, bonos effectus se percepisse testantur.

In extremo morbi gradu, cum omnia jam in pejus ruunt, et æger ad aliquod per os devorandum haud amplius valet, non solum cibus, sed medicamenta quoque ipsa infra injicienda sunt; vel, quod melius forsan convenit, instrumento flexili per nares in ventriculum demittenda.

Si æger ad cibum hauriendum valeat, modo dentes vehementer collisæ id non impedirent, mos dentem anteriorem extrahendi apud quosdam invaluit; lignum tamen interponere melius foret.

FINIS.